

existentia: sicuti differunt duratio domus, et ejusdem aedificatio. Quemadmodum ergo qui domum destruit, non ideo poenitet, seu detestatur eam fuisse aedificatam; ita qui Baptismum suscipit et vult virtualiter, vel formaliter, deleri peccata, non ideo detestatur, ut oportet, se peccasse.

SCHOLION

123. Quaeri etiam solet, utrum dolor, quo adulti ad Baptismum disponuntur, debeat perfectae esse contritionis; vel sufficiat imperfecta contritio, quae attritio appellatur?

Aliqui AA. cum Petro de Soto, O. P., censent necessariam esse perfectam contritionem: communis et tenenda sententia docet, e contra, sufficere attritionem. Verum de hac re fusius, Deo favente, in tract. de *Poenitentia*: cum enim haec laboriosior existat, quam Baptismus; si ad illam non requiritur contritio, neque ad hunc necessaria erit. Praeterea, ut diximus supra (1), ad sacramenta mortuorum non requiritur status gratiae: ergo neque dispositio justificativa, scilicet, contritio perfecta.

(1) Disquis. I. *De sacram. in gen.* Thes. XX, n. 162.

DISQUISITIO III.

De Sacramento Confirmationis.

PROOEMIUM.

Divinum hoc describens Paulus Sacramentum, ordine quidem secundum, sed descensione Spiritus Sancti, qui per illud nobis donatur, insignitum et consecratum, dixit (1):

Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

Ambrosius autem recens baptizatos et Confirmatione signatos adhortans, agebat (2): «Post haec utique ascendisti ad Sacerdotem (e fonte Baptismatis): considera quid sequutum sit. Nonne illud quod ait David: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron?*... Unde Dominus Jesus et ipse invitatus tantae studio charitatis, pulchritudine decoris et gratiae: quod nulla jam in ablutis delicta sorderent, dicit ad Ecclesiam: *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut signaculum in brachium tuum; hoc est: decora es, proxima mea, toto formosa es; nihil tibi deest. Pone me ut signaculum in cor tuum;* quo fides tua pleno fulgeat Sacramento. Opera quoque tua luceant et imaginem Dei praeferant, ad cujus imaginem facta es. Charitas tua nulla persecutione minuat, quam multa aqua excludere, flumina undare non possint. Unde repete quia accepisti Signaculum spirituale, Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum sancti timoris; et serva quod accepisti. Signavit te Pater, confirmavit te Christus Dominus; et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut *Apostolica* lectione didicisti.

PARTITIO GENERALIS.

CAPUT I. De sacrae Confirmationis existentia et effectibus.

— II. De natura Confirmationis.

— III. De ministro et subjecto Confirmationis.

APPENDIX. De Spiritu Sancti donis.

(1) II Cor. I, 21, 22.—(2) *De Myst.* c. 6 et 7. Spiritum cognitionis atque pietatis.